

ferunt. Ut igitur legiones vna cum Imperatore suo vnum exercitum constituunt; vt multitudo ciuium simul cum principe vnam ciuitatem constituunt: sic nos quoque, si militia caelesti nomen dederimus, aut in numerum ciuium caelestis Hierusalem adscribi curauerimus, vel etiam ei in disciplinam nos tradiderimus, aliquid vnum cum Deo efficiemur. Ex quo, vt opinor, non semel ait: *Qui vos audit, me audit; qui vos recipit, me recipit; qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Sequitur quoniam quemadmodum plura membra conuexa capiti corpus vnum componunt: eodem modo nos quoque cum Deo iuncti in vnum corpus mysticum compingimur, & coagmentamur: idque tam certum ex scripturis exploratumque est, vt habere aliquid quaestionis non videatur.

An vero etiam per similitudinem ratio aliqua vnitatis cum Deo reperiri possit, vehementer ambigo. Cum sit enim Deus totus à natura perfectus, & omnibus suis numeris absolutus, nullius qualitatis ornamento indiget, sine qua tamen similitudo intelligi nulla potest. Nihilominus si quos mores illi natura praestet, nos, vtrumque dabitur, actibus nostris expresserimus, eatenus eidem similes euademus. Quanquam enim nulla hominum doctes, quas omnes ab illo hausimus: nulla actiones, quas inde omnes elicimus: licet illae praestantissimae sint, vilo genere, aut gradu cum diuinis virtutibus conueniant, propter analogiam tamen eidem similes feruntur. Quem admodum enim statua aliqua, hominis vultum referens, non idcirco non similis suo prototypo dicitur, quod is quidem homo sit iudicio ac ratione praeditus, haec vero marmore confertur: ita ne nos quidem Deo non similes habebimur, quamuis natura diuersi, si modo virtutibus abundemus, moreque nostros ad eius exemplum componamus. Scriptura certe iustos ac Sanctos non vno loco cum Deo confert: indices etiam Elehim vocat, hoc est, Deos. Item misericordes, & qui grauissimas iniurias voluntaria obliuione conterunt, ad Dei similitudinem proximè accedere creduntur: quoniam scilicet ipse quoque misericors est, & in ingratos, & obtrectatores suos liberalis ac munificus esse perseuerat. Praeterea vero etiam animas, in quas Deus illabitur, caelesti quodam splendore exornat, quo nihil est in rerum natura eidem similis. Nam primum quidem fidei penicillo seipsum quibus vult, tanquam in mentis tabula coloribus depingit: deinde gratia sua, veluti cultu quodam regio animam conuestit: tum charitate ista voluntatem in se transfert, vt iam non hominis, non alia, sed Dei propria esse videatur. Quid Spiritus sancti dona commemorem? quid lucem Sapientiae? quid scientiae splendorem? quid pietatis decus praestantissimum? quid denique eundem in nobis reliqua beneficia, quae diuinae Maiestatis radios non obscure praesentat? Ex his omnibus efficitur, & non temerè mihi persuadeam eum, qui his moribus

excultus sit, meritò cum Deo vnum posse nominari.

Qua ratione cum aliis, & item nobiscum vni esse possimus.

AT vero quo ad nos spectat, vnitatis rationem in nobis ipsis, seruiabimus, si quatuor condiciones, quae id efficere posse videntur, studeamus obseruare. Primum quidem vt omnium actionum nostrarum, quas plures esse in hac tanta infirmitate necesse est, si perfectionis apicem conscendere volumus, vnus sit scopus, vnum propositum, nempe Deus. Neque enim qui sit vnus, simul in diuersa tendere potest, hoc ipsum docet Apostolus cum ait: *Omnia in nomine Domini Iesu facite.* Quod profectò nunquam praestabunt, qui auaritia student, honores ambiunt, voluptates consecretantur; horum enim in se diuisus est animus, & à ratione voluntas abhorret, libido etiam vnitatem dirimit, & à Deo diuellit. Deinde vna quoque intentio esse debet, quae circa obiectum feratur. Nam sunt plures, qui tamen si Deum praecipue colendum existiment, tamen in eo obsequio quod Deo exhibent, sua commoda, dignitatem, gloriamve requirunt. Quoniam enim nihil ad parandam famam diuino cultu illustrius, nihil ad animi oblectationem efficacius rati sunt, ideo constanter eum sibi retinendum putant; at proculdubio si se penitus introspexerint, suorumque affectus examinauerint, perspicue animaduertent, cum philautia morbo laborent, se in diuersas partes dilatahi, nec posse secum indiuiduè consistere. Neque enim ea est humana cupiditatis constantia, aut rerum quas appetit, vbertas & copia, vt vna aliqua re explei possit, cum nec simul quidem omnibus (si Deum excipias) exaturetur. Quo circa, si verè vnitatis desiderio teneatur, *Abneget*, inquit Christus, *semetipsum*, & eundem solum sequatur: sic enim tandem aliquando eam inueniet. Tertia conditio est, vt ordo quoque seruetur in actionibus, quando quidem plura officia nos obire opus est, nec quasi Angeli vnico voluntatis motu in hoc stadio ad calcem vsque decurrimus. Ea namque est vis ordinis, vt quae suapte natura multa sunt, vnum, si adhibeatur, efficiat. Nam quid cause est, cur hominum multitudinem aut ciuitatem vnam, aut exercitum vnum dicamus? Ordo scilicet. Vides quot sunt illa, quamque diuerso perita loco & origine, quae domum vnam vocamus? Solus ordo hoc praestat: quem si in actionibus tuis ad vnum finem dirigendis religiosè tenueris, vnus homo censearis. Is talis autem arbitror esse debet, vt inferiores animae vires superioribus obediant, vt non temerè conceplentia franos excutiat, aut voluntas rationi obnataur: monet enim Apostolus, *Sit rationale obsequium vestrum.* Restat denique vt vnus & idem mo-

Vnitatis etiam qua in similitudine consistit, multis modis asseritur.

vs nos in nobis ipsis vni esse possimus, quatuor conditionibus opus est.